

## Franckesche Stiftungen zu Halle

# Paraenesis De Pietate ac Disciplina Cum Literarum Studio In Scholis Hoc Tempore Praecipue Excolenda Tuendaque, Juvante Deo, Ad Nobilissimos Consules ...

Meurer, Johann Christoph

Standaliae, [1712?]

VD18 90820746

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))


### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

[urn:nbn:de:hbz:33-1-202410](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-202410)



63. B. 8.

1.  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.  
10.  
11.  
12.  
13.  
14.  
15.  
16.  
17.  
18.  
19.

95. 8.1. 82.

# PARAENESIS

DE  
PIETATE ac DISCIPLINA  
CUM LITERARUM STUDIO IN SCHOLIS  
HOC TEMPORE PRAECIPUE  
EXCOLENDATA TUENDAQUE,

Juvante DEO,

Ad

Nobilissimos CONSULES ac Spectatissimos  
SENATORES,

nec non Pl. Rev. & Cl. MINISTERIUM

Ecclesiae Scholaeque

Metropoleos Palæomarchicae Stendaliensis

post Scholæ examen Publicum

ac solenne

D. XV. M. Martii. A. O. R. CI<sup>o</sup> DCCXII.

in Acroaterio Scholastico

dicta,


IIIDEMQUE dicata & consecrata

a

Jo. Chr. MEURERO, S. T. D.

Gener. Veteris MARCHIAE PRIGNITIAEque

Superintendente &c.



STENDALIAE,  
Typis Johannis am Ende.

552  
X 90



*A. eu προοιμ.*

**S**CHOLAS seminaria Ecclesiae, plantaria Reipublicae & Oeconomiae viridariae esse, communis ac recepta sententia est. Ex illarum inde fati sive salutem omnium, sive noxam publicam, pullulare in confesso fuerit. Illarum igitur unaquaeque recte si colatur, vineae pulchrae ac palmitibus decorae, VITISque *instar eximia, quae putatur ac curatur solite, bonas producat propagines & flagella fructifera, quae multos botros feret & uvarum fecunditas ramorum magnitudinem coequabit,* ut HIERONYMUS ad Hos. C. X, 1. ubi LXX. *ἐουληματῶσαι,* quod in fonte *Gephen Beker* commentatur: qualis ISRAEL ante turpissimum in idololatriam lapsus fuerat; Sin negligatur, aut non recte colatur, ac putetur, *in flagella frondesque luxuriabit, & humorem, quem debuerat in vina mutare, vana frondium & foliorum ambitione disperget,* ut IDEM: qualis certe Gens ISRAEL fuit refractaria, suis vitiis luxurians, vere conversa in vitem *ὁλομανῶσαν,* ut SYMMACHUS eodem loco habet, sylvestrem genium induens. Equo mala succrescere plurima necesse est. Cultura enim disciplinae ac pietatis si desit, VITIS SCHOLASTICA, aut evanidum, aut nullum, fructum, praeter pampinos, sarmenta inutilia & labruscas, quae uvae quidem similitudinem habent, sed amaro gustu vescentium ora torquent, habebit, imò in spinetum merum degenerabit.

Ad Culturam vero DUO maxime MOMENTA spectant, ut nimirum non SCIENTIAE tantummodo, verum etiam CONSCIENTIAE habeatur ratio: mens scilicet instruenda primum

mum DEI, \* sui ipsius, \*\* rerumque necessariarum cognitio-  
 ne, linguarum sacrarum aliarumque subsidaria opera, in  
 verna mox ætatis specie, imbuenda, amorque divinarum  
 solidarumque literarum ita instillandus, ut mox &  
 interiores animi motus &, quæ foras prodeunt, *πράξεις* ad  
 regulam sancti justique decoris *σεμνῶς* componantur, deter-  
 sis expulsisque pravorum morum quisquiliis, ne in infelix  
 vepretum distortumque arundinetum puerilis, mox teneritudo  
 ac juvenilis ardor in luxuriam vitiorum desinat, sed molli  
 flexu, dum adhuc licet, ad virtutem componatur, resectaque  
 luxurie ad doctrinam arduam, vanitate devitata, inflamme-  
 tur, quo fructus maturior ætas verè viriles, h. e. sapiente ho-  
 mine dignos, proferat, senectutem lenituros, si quæ obtigerit,  
 ac omnia, quibus non caret infelix hæc vita, adversa, quin  
 ipsam denique mortem, superaturos, beatamque immortalita-  
 tem amplexuros. Felicem Ecclesiam, quæ istos ex sana VI-  
 TE SCHOLASTICA palmites suo deinceps ministerio inse-  
 rere, beatam Rempubicam omnem, quæ in omni ordinum  
 genere istis ex botris succum suavem exprimere inque suos  
 usus vertere, eosque multiplices ac varios, potest!

Omnia namque Scholæ debentur commoda sanctæ,

Nascitur eque Scholæ tota salute salus!

Sed eheu! contrā quam infesta ac infausta omnia sunt in Cho-  
 ro, Foro, Thoro, si Schola aut desit, aut negligatur, aut ipsa  
 degeneret, non jam officina Spiritus sancti, & scientiarum  
 ac ipsius pietatis Palæstra, sed Satanæ ergastulum, impietatis  
 Theatrum, nequitiarum omnium stabulum, quin barathrum,

A 2

quod

\* DEUM autem ii norunt, CTRILLO auctore, qui de EO recte sen-  
 tiunt, & divinæ ejus voluntati obsequuntur.

\*\* vid. G. I. VOSSI Elegantiſſimus libellus de cognitione ſui. 559

quod DEUS averuncet! scilicet contempta pietate ac vel solo nomine suspecta, neglecto nervo salutis scholasticæ, quin publicæ omnis, disciplina nim: justa ac decenti, omnia corruere, velut remota basi ædes, primo ruinam minata, mox concidunt, necesse est, Regnabit deinceps impietas impune ac licentia per-rupto Legum obice, imò aggere, exundabit. Scite ac ad rem LACTANTIUS L. V C. VIII. *Hinc omnia mala quotidie ingraves-  
cunt, quia Deus hujus mundi Effector & Gubernator derelictus est,  
& concepta sunt, contra quam fas est, impie Religiones,* imò apud pluri-  
mos evanuit omnis religionis ac disciplinæ amor. Agno-  
vit suo modo id M. FURIUS CAMILLUS apud Livium, ex-  
perientia teste: OMNIA PROSPERE EVENISSE DEOS COLENTIBUS,  
ADVERSA SPERNENTIBUS. *DI multa neglecti dedere Hesperia mala  
luctuose!* Quæ mala, ut, sive eminus vitentur, sive cominus  
averruncantur, legum repagula proterviæ nequitiaque  
obducenda & disciplinæ constantis quasi cataractæ firman-  
dæ, ne omni impetu ingruant pravæ notæ exempla: *Non  
enim potest vehementi malo, nisi æque vehemens auxilium succurrere,*  
L. II. C. XI. docente CELSO, Medico. Eadem in animorum  
morumque medicina servanda ac imitanda sunt. Nec vero  
oscitanter hic ac cum neglectu quodam res ista agenda est, &  
minus serio, ne, vel alia sub specie, malorum omne genus,

---Veluti tabes tacitis concepta medullis,

Intra membra furens hiris latrantibus errat,  
totum corpus conficiat ac enecet, oscitantibus Medicis mo-  
rumque Magistris, quos severos fanosque, non plagosos & mœ-  
rosos Orbilios, esse volumus. *Securitas ac indulgentia nimia  
mater ruina proxima, quam vigil Legum (quæ serperastrorum instar  
pueris in geniculis alligande sunt, si consuetudine male ambulandi vari  
facti fuerint, aut compernes, ut eorum depravata corrigant crura juxta*  
[VARRONEM] Legum, inquam, custodia, amore paterno  
tem-

temperanda, avertere vel sola potest. VITIS cæde ac incisione fit fecundior; hinc SCHOLASTICA VITIS diligenter putanda, luxuries excindenda, ne omnigenis pullulet vitiorum ramusculis, sed fanos referat botros labori vinitorum sollicito sua suavitate ac salubritate respondentes. Quodsi igitur

Gloria vera patri natorum est fama decusque, accinente GREGORIO NAZIANZENO in carmine ad NICOBUL. *Patrem* XLIX. ac

*Μακάριον ἐστὶν οὖν εὐτακτὸν τέλει,*

Felicitas est, probos habere liberos;

quanta ea erit SCHOLARUM gloria ac decus, alumnos & nutricos habere frugi virtutisque veræ studiosos, virtutis, inquam, ac morum sanctiorum elegantiorumque æmulos. Nam

-- Didicisse fideliter artes,

Emollit mores, nec finit esse feros!

Vere Poëta, etsi paganus, ac recte cecinit. Et profecto honesti decorique cultor adolescens est probis omnibus

Nobilior pomis, matura dulcior uva.

Contra *ut* opprobrium parentum filii maligni, Sapientissimo Regum SOLOMONE teste, Prov. C. X, 1. C. XV, 20. nec non C. XVII, 25. subinde optantium: *ut*, si fuisset in fatis, *nutrix* eos *pollinctori tradidisset* veteri verbo; ac:

Certe, ego si nunquam peperissem, lætior essem,

Infelix fructus, publica damna, tuli!

Genitrix mali nati exclamet; *ita* omnino *Scholarum* probra ac, quod de Catilinæ Sociis Cicero, perniciosæ sentina Reipublicæ sūt improbi, maleque nati ac educati sinistre, adolescentes, salutis publicæ sufflamina, suæ flagella. *Onagris*, similes, quod & stupidi ac asinini ingenii, & superbi jugique impatientes, & licentiose vagantes, donec præda fiant Leoni infernali, & libidine furentes rudentesque insanum in modum, quæ onagrorum virtu-

tes sunt, propriae omnino protervis ejusdem notæ hominibus;  
Quorum alii in pejus adeo proficiunt, ut, monitoribus asperi,  
omnem disciplinam atque *ἐπαγόρευσις* respuant, ceu *Pistoclerus*  
ille *Plautinus* Act. I. scena II. in *Bachid*: de quo genere illud  
PROSPERI *de Ingrat.* usurpes:

Quid mirum, rabido si corde phreneticus æger

Morbum amat, & pellit medicum?

Sed quis sentina ista diutius occupari se sinat? Everrendam  
igitur aliis relinquimus. Quanta vero indicta sit Scholarum  
& Doctoribus & Patronis & Ephoris necessitas, ut prospiciant,  
quò pietatem cum linguis artibusque, quas vocant, liberalibus  
ac humanioribus literis omnibus recte colant, & justa disciplina  
regantur pueri ac adolescentes, nemo negare ausit mentis Chri-  
stianæ homo, aut cuicunque etiam sani adhuc aliquid salis lævæ  
sub parte mamillæ; cum uti mala, ita bona Scholarum omnia  
redundent in Rem omnem publicam, sacram pariter ac Civi-  
lem, in ædes, fora, sacraria, Curiam, & præterea non in imas  
tantum casulas, sed & summa turrium arciumque ac aularum  
denique fastigia. Quæ omnia sancta, salva, quis sanus non velit  
& illibata? Absque disciplinæ vero & vigore & exercitio æquo  
qui ista servari posse contendat, ac meliora serenioraque, post  
hæc pessima & nubila, sperare ausit tempora, is *Poma fugacia*  
cum TANTALO *captat.*

A peste igitur morum omni cohibenda est ætas tenerior,  
ac sanctis præceptis exemplisque doctrinarum ac morum  
contra venena mundi & seculi maxime hujus, quod NEC VITIA  
SUA, NEQUE REMEDIA PATI POTEST, munienda: Nam

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem

Testa diu;

*Nihil magis ergo, iterum moneo cum SENECA, præstandum est,  
quam, ne pecorum ritu sequamur antecedentium ( pravorum ) gre-*

*gem*

gem pergentes, non qua eundum est, sed qua itur. de Beat. Vit.  
C. I. idque ut faciant nobiscum, pueri ac juvenes, urgendi,  
excitandi monitorum stimulis & exemplorum quasi aculeis  
sunt; non aliter ergo eos formemus atque instruamus, ac Præ-  
ceptores, qui ὑπογραμμὸν, præscriptum vivumque exemplum,  
cui γραμματιστὴν scribendi imperitis, ductis lineis, præ-  
ponunt. Quintil. L. I. C. I. Maxima exemplorum vis est in  
omne genus; etsi verum sit, quod SALVIANUS L. VII.  
De Gubernatione DEI differit: - pessimum - in hoc negotio est, quod  
libentius omnia deteriora (homines) sectantur; faciliusque mala in-  
stitutio bonos damnat, quam bona malos emendat. Væ! igitur Sospi-  
tator ipse O. M. inclamat semel iterumque ac gravissime de-  
nunciat τῷ σκανδαλίζοντι ἐνὰ τῶν μικρῶν τῶν, Matth. C. XIX, 6, 7.

Quam sancte proinde cum his publicæ rei organis, cum  
Ecclesiæ semine, cum Spe posteritatis tenera, adolescentiam  
volo, versandum vivendumque sit, omnes intelligitis; Ut, ne

Cæcus forte ducem cæcum si nactus oberret,  
Incidat in foveam pariter demersus uterque;  
& - - - nisi doctrinæ jungatur vita fidei,  
Majores pariat conjuncta scientia poenas;

canente ALCIMO AVITO.

Nec dubito vero, quemque inter Nos, sui quod est muneris, actus  
rum esse, juvante DEO, serio ac sollicita cum cura. Neque ta-  
men satis moneri dicere potest, quod semper ut fiat ac vigeat,  
necessè est. Nec, quæ mala inter nos aut gliscant, aut ju-  
ventutem nostram lædant ac corrumpant, publice jam tan-  
go, nec ulcera fricabo, sed ista μόλα, seu linteola velut, quæ infē-  
rantur vulneribus, ut putridas carnes comedant ac extrahant puru-  
lentas, (cum HIERONYMO loquor in Hos. C. VI. v. 1.)  
tantum jam adhibuisse sufficiat, ut omnes agnoscatis, DI-  
SCIPLINAM esse Scholarum custodem, ut PIETAS \*\*\* est  
anima & LITERÆ ipsæ summa sunt; quibus aut ablati, aut

divulsis, aut una illarum vel neglecta, vel plane ejecta, salutem exulare Schola, Republica omni, sacra, civili, quin & priva re. Tanti est pietatem Scholis illibatam, literas ac artes ingenuas fartas ac tectas, nec non disciplinam denique salvam præstare atque tueri. DEUM jam nunc supplice voto ac precibus ardentissimis obtestor, ut Nobis Vobisque SCHOLAM, PUBLICÆ SALUTIS Cimelium, Vos SCHOLÆ PRÆSIDIUM PERENNE esse æternum velit, jubeat!

DIXI.

\*\*\* *Ad probos enim & pietatis cultu instructos discipulos res omnis ac summa propemodum Scholarum radit, horum animis per diviniores literas perpurgatis, & moribus honestis atque ad disciplinam Christianam compositis, stat omnis ac cadit. Scholarum magnitudo, non numero constat, aut licentia, non frequentia hospitiorum, Fautorum beneficentia, aut privilegiis atque commoditatibus aliis, quibus plerumque amplitudo ac flos Gymnasiorum censetur. REMOTA ENIM PIETATE & SANCTITATE VITÆ, malo EGO SCHOLAM DESOLATAM, QUAM DISSOLUTAM, quod gravissimum profecto judicium magnus aliquis Cæsar Augusto calculo suo confirmavit. Quæ verba ex oratione Aufpicali Cl. Viri, Jo. SCHULZII, Rectoris Gymnasii Budiffini, de magnificentia Scholarum in pietate quesita & inventa p. 27. subito in manus veniente, omnino cedro digna huc adponere placuit. Conf. B. D. C. KORHOLTI Theologische zu beförderung der Gottseligkeit ausgefertigte Tractætlein: Vorschlag / wie etwa die Sache anzugreifen seyn möchte / da man dem in Evangelischer Kirchen bisher eingerissenen ärgerlichen Leben und Wandel vermittlest Göttlicher Verleihung abzuheffen / mit Ernst resolviren wolte.*

p. 50, f. Num. XXII.



